omnia præfecturę, ſocietatis aut diſcipulatus commoda æquè
percipiat ac ſi præſens eſſet.

De vitanda peſtis et ~~aeris~~ aëris contagione

Cap. XXXI

Tempus diſcedendi propter peſtis aut ~~aeris~~ aëris contagionem præ-
ſes et Senatus dijudicent. Diſcipuli unum in locum ruri con-
gregentur. præces omnia domeſtica exercitia et commoda ha-
beant, Sin illa non fecerint, hijs careant, et iiſdem pœnis af-
ficiantur ac ſi domi eſſent. Magiſtratus hij cum illis eant:
Magiſter aulę et quęſtores illorum omnes: Cenſorū et quæſto-
rum alter, Secundus Cocus, Secundus promus, et lixa.

Magiſter aulę literarum progreſſum, Cenſor vitam et mo-
res, Quęſtor domeſticū munus et rem familiarem procuret.
Hoc temporę Concionatores quo uelint diſcedant. Singulis
et Dominicis et feſtis concionentur, ſin minus commeatu
ſuo careant. Socij niſi per Decurias aliquo ſimul eant,
et omnes illius Decurię exercitationes domeſticas expleant,
aut niſi qui ex diverſis decurijs quocunq; numero ſint cupidi
eundi ſimul profecti decurię alicuius exercitationes inte-
gras habeant: à Collegio ne diſcedant, quòd ſi diſceſſerint
commeatu careant.

Senior ſocius illius conventus moderator ſit. domeſticas
recitationes, et treis hebdomadicas declamationes habe-
ant, ſin minus, ac ſi domi eſſent mulctetur.

Ad reditum omnium qui peſtis aut contagionis metu

abſuerant

abſuerant, ibi curſus et ordo exercitationum incipiat, ubi ante
deſierat. Exercitationes quę ruri problematum et declamatio-
num habentur non propter curſum domeſticum ſed propter co-
moda Collegij ab abſentibus percipienda ducantur.

Domi manentes aliquo exercitationis gñe retinendi ſunt.
Hij omnes quotcunq; numero ſunt unam in Decuriam confe-
rantur. problema unum, declamationes duas hebdomada-
tim habeant, et repetitiones ſuas diligenter in primis uſur-
pent. prima hebdomada anglicę et latinę: proxima, grecę
et anglicę: tertia latinę et grecę, atq; hebdomadatim ordine
ſint donec redeatur. Declamationes die lunę et Veneris,
problemata die Mercurij hora uſitata hebdomadatim ſint.
propræſes et Cenſor domi manens harum exercitationum,
moderatores ſint. Sin qui ex domeſticis contagione morbi labo-
rent, præſes et Senatus grauitatem rei dijudicent, et de illorū
ſententia uel domi maneant, vel ius liberi diſceſſus ad treis
hebdomadas aut menſem habeant, et commeatum à Collegio
omne illud tempus, ac ſi domi eſſent, percipiant.

Qui ruri ſunt et domeſticas et debitas exercitationes uſurpãt
ac ſi domi eſſent habeantur, atq; ideo domeſtica commoda
ōnia percipiant, qui non faciunt, pro abſentibus à Collegio repu-
tentur, et commodis domeſticis omnibus careant.

Domi ad minimum hoc temporę maneant Præſes uel eius
propræſes, alter ex Cenſoribus et quęſtoribus et Æditius ſacer
et eius adminiſter, primus et tertius Cocus, primus promus et
tonſor.

eſſet et domi pręſens. Pręterea ſi aliquem ſociū, ſcholarem, aut diſci-
pulū huius collegij ſive domi, ſive foris, graviter ęgrotare idq; iudicio
Magiſtri (aut eo abſente Pręſidis, eiuſve deputati) et maioris partis
ſeniorū intra viginti dies poſtquā convaluerit ſufficienter probatū
fuerit, tantū durante ſua infirmitate à Collegio recipiat quantū
ſanus et domi pręſens eſſet ab eodem percepturus. Si verò
Magiſtrū, ſocios, aut alios miſſos pro neceſſitate et utilitate col-
legij aut in negotijs eiuſdem, infirmitate brevi, aut læſione alicuius
membri, ut ex caſu ex equo, ſimilibusve fortuitis, quę veriſimili-
ter ei non accidiſſent, ſi in eo itinere aut negotijs non fuiſſet, labo-
rare contingat, tunc ſuſtentatio competens ei de bonis collegij mi-
niſtretur, ſecundùm eius ſtatū et gradum, et infirmitatis qualita-
tem, ac etiam pro eius curatione et medicinis neceſſarijs ſatiſ-
fiat, ſecundùm diſcretionem Magiſtri (aut, eo abſente, Pręſidis,
aut eius deputati) cum conſenſu maioris partis octo ſeniorum,
dummodo tamen per evidentes probationes et iuſtas pręfatis con-
ſtiterit, quòd infirmitas huiuſmodi ficta non fuerit, vel facilè et
citius curari non potuerit. Et idem infirmus quàm citò equi-
tare poterit, ad collegiū redeat, ſe Magiſtro et cęteris offici-
arijs oſtenſurus, et tunc omnino ceſſet hęc ſubventio pręter me-
dicinas, niſi quatenus in hoc ſtatuto pro alijs infirmis eſt pro-
viſum. //

De vitanda peſte et aëris contagione. Ca. 36.

Cùm illis qui bonis literis ſe totos addixerint, non modò
ea, quę ad animos pręclarè inſtituendos, verumetiam quę ad inte-
grā corporis valetudinem tuendā neceſſaria ſunt provideri de-
beant: Statuimus et ordinamus, ut cum peſtis, aut alterius
contagioſi aut lethalis morbi vis ingruit, Magiſter, aut eo ab-
ſente Pręſes, eiuſve deputatus, convocatis octo ſenioribus, de ma-
ioris partis eorū ſententia poteſtatem ſocijs ac diſcipulis faciat
ſe rus ad aliquem locū opportunū conferendi. Quòd ſi repentina
peſtis aut lethalis alicuius morbi metus acciderit, unde in unū co-
acti de vita propter morbi contagionem periclitari videbuntur,
tum permittimus, ut prędictorū conſenſu, ſociorū ac diſcipulorum

cętus-

cœtus ad trium quatuorve hebdomadarū ſpatiū diſſolvatur, et ſingu-
li in diverſa loca pro ſuo arbitratu ſecedant, ac pro illis hebdomadis
commeatum ipſi debitū habeant, neq; dictum ſpatiū in numero dierū
abſentię computetur. Poſt quod quidem ſpatiū, in unū denuo con-
gregari (ſi id abſq; periculo fieri Magiſter, aut eo abſente Preſes,
eiuſve vicarius, conſentiente maiori parte octo ſeniorū, cenſuerit)
et diſcipulos univerſo temporis ſpatio quo ſimul ruri manſerint,
omnes actus ſcholaſticos quibus in Collegio tenentur obſervare, et rei
divinę intereſſe, et cętera obire volumus, quę collegij ſtatuta exi-
gunt. Quibus toto illo tempore quo ſimul ruſticantur, lectorem
primariū, et iuniorem Decanū preeſſe volumus. Lector autem om-
niū acceptorū et expenſorū rationem Seneſtallo reddat, eiuſq; munere
vere fungatur. Decanus verò morū honeſtati provideat. Nulli
ſociorū aut diſcipulorū (qui non ęgrotaverit) illo tempore quo ſimul
ruri diſcipuli manſerint commeatum concedimus, niſi vel in collegio
vel cū diſcipulis verſetur. Socij autem qui ſunt magiſtri artiū
aut ſuperioris gradus, ſi octo aut plures ſimul ſint, etiā teneantur
eo tempore actus ſcholaſticos obſervare. Baccalaureos autē et
declamare et unū problema in ſingulas hebdomadas, ſi terminus
ſit, die lunę in philoſophia inter ſe incipiendo à ſenioribus, obſerva-
re volumus, cui preſit Lector primarius. Et nihilominus cū
ad collegiū redierint ſinguli in ſuo manipulo vices ſuas, ubi deſi-
tū eſt antea, expleant. Statuimus porrò et volumus ut
dum ruſticantur diſcipuli, Magiſter, aut (eo abſente) Preſes
eiuſve vicarius, ſenior Decanus, ſenior theſaurarius, et ſacriſta
in collegio ad eius conſervatiōem maneant, aut ſocios idoneos ꝑ
Magiſtrū, aut Preſidem, eiuſve vicariū, et maiorem partem
octo ſeniorū approbandos, in ſua loca ſufficiant, Promum verò
ſuperiorem, Ianitorem, et Coquū primū in Collegio ſimiliter manere.
Promū autem inferiorem et Coquū ſecundū, ſociorū et diſcipulorū
gregi rure inſervire volumus.

De ſupviſione terrarū et Comptis faciendis. Ca. 37.

Expti novimus reditus et proventus ex negligentia

et-